Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38301
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

modus aut finis bonis. Intuere obsecro te. et cerne quantis sibi laudibus
frugalitas et continentia praedicetur. et erga coniugale uinculum fides.
Castique honesti ac probi mores. Quibus cum praepolleret ciuitas uere florere
dicenda est. Hi autem mores in ecclesiis toto orbe crescentibus tamquam
in sanctis auditoriis populorum docentur atque discuntur. Et maxime
pietas qua uerus et uerax colatur deus. Quia haec omnia quibus animus
humanus diuinae societati ad inhabitandam aeternam caelestemque ciuitatem
instruitur et aptatur. Non solum iubet aggredienda uerum etiam donat
implenda. Inde est quod deorum multorum falsorumque simulacra
et praedixit euersum iri et praecepit euerti. Nihil enim homines tam
insociabiles reddit uitae peruersitate quam illorum deorum imitatio
quales describuntur et commendantur litteris eorum. Denique illi
doctissimi uiri qui rem publicam ciuitatemque terrenam qualis eis esse
debere uidebatur magis domesticis disputationibus requirebant uel etiam
describebant quam publicis actionibus instruebant atque formabant.
Egregios atque laudabiles quos putabant homines potius quam
deos suos imitandos proponebant erudiendae indoli
iuuentutis. Et reuera terentianus ille adulescens qui exspectans
tabulam pictam in pariete ubi pictura inerat de adulterio regis
deorum. Libidinem qua rapiebatur stimulis etiam tantae aucto
ritatis accendit. Nullo modo in illud flagitium uel concupiscendo
laberetur uel perpetrando immergeretur. si catonem maluisset imitari
quam iouem. Sed quo pacto id faceret. cum in templis adorare coge
retur iouem potius quam catonem. Verum haec ex comediae quibus impi
orum luxus et sacrilega superstitio conuinceretur. Proferre forsi
tan non debemus. Lege uel recole in eisdem libris quam prudenter
disseratur nullo modo potuisse scriptiones et actiones recipi comoedi
arum nisi mores recipientium consonarent. Ita clarissimorum
uirorum in re publica excellentium et de re publica disputantium
auctoritate firmatur nequissimos homines fieri deorum imitatione.